

CAPUT XV.

NONNULLA DUBIA CIRCA POTESTATEM INFERIORUM AD DISPENSANDUM IN LEGIBUS SUPERIORUM EXPLICANTUR.

1. *Potestas hæc non delegata sed ordinaria dicenda est in Episcopis quando confertur a Papa ex vi muneris.*—De potestate quam unusquisque princeps vel Prælatas habet ad dispensandum in sua propria lege vel sui inferioris, nihil specialiter dubitandum, vel declarandum occurrit, præter ea quæ de causa dispensandi infra dicemus: circa potestatem vero inferioris ad dispensandum in lege superiori, nonnulla supersunt explicanda. Primum est, an hæc potestas dicenda sit ordinaria vel delegata; quia non est innata proprio muneri et jurisdictioni, sed per superioris voluntatem conceditur; ergo non est ordinaria potestas, nam hæc solum est illa quæ jure proprio habetur, erit ergo delegata. Sed hoc nullam controversiam habet aut difficultatem. Dicendum est enim hanc potestatem esse ordinariam in Episcopis, et idem est in similibus. Ratio est, quia, licet hæc potestas commissa sit a superiore, ut a Papa, verbi gratia, confertur ex vi muneris, ita enim est illud munus institutum ut radicatum in se habeat totam illam jurisdictionem ex vi suæ collationis et institutionis, sive hæc institutio et concessio sit ex vi juris divini sive per Pontificem facta, vel consummata sit: hoc enim parum ad rem præsentem refert, ut constat, et videtur aperte declaratum in capite ultimo de Offic. ordinar., ubi Felin. in princ. id advertit, dicens, licet dispensatio a jure concessa intelligatur solis Episcopis commissa, nihilominus posse Episcopum illam committere inferiori, quia nimirum in illo jam est potestas ordinaria. Quod etiam dixit Dominic. in cap. *Cum eo*, de Elect., in 6, et Feder., consil. 36. Imo addit generaliter idem Felin., in c. *Licet*, de Offic. ordin., cum Bald. in l. 1, ff. de Offic. consul., quæst. 9, jurisdictionem in perpetuum commissam esse ordinariam. Et sic etiam dixit Glossa ultima in dicto capite ultimo, potestatem datam ex privilegio, si sit concessa ex peculiari institutione et tanquam perpetuo annexa dignitati, ordinariam censeri. Quæ est sententia communis, ut referens plures tradit Covar., lib. 3 Variar., cap. 20, n. 6 et 10; et plures refert Sanc., l. 2 de Matrim., disp. 40, n. 14. Et est optima ratione fundatum, quia eo ipso quod jurisdictio perpetuo est concessa

et annexa dignitati, in illa manet radicata et cum illa confertur, et ideo ordinaria relinquatur, et qui illam habet, delegare eam potest. Et sic potestas quam habet Legatus a latere Papæ ad dispensandum in legibus ordinaria est, sicut de votis alibi diximus, et tradunt Specul. in tit. de Dispensatione, § *Consequitur*; Et Panormit. in cap. ult. de Transact., n. 5. Quia Legatus est ordinarius in sua provincia, et major omnibus post Papam. Unde dispensare potest in omnibus quæ non sunt Papæ reservata, ut sumitur ex cap. *Quod translationes*, de Offic. legati.

2. Secundum dubium est, an Episcopus vel Archiepiscopus possit dispensare in legibus concilii provincialis tanquam in lege propria, vel tanquam in lege superioris, hoc enim multum interest, ut constabit ex infra dicendis de causa dispensationis. Et idem dubium cum proportionem est de patriarchali seu nationali concilio respective. In quo imprimis supponendum est sermonem esse de Prælati illius provincie seu archiepiscopatus ubi concilium celebratum est: nam ibi tantum obligant illius leges, et constat extraneos Prælatos non posse in illis dispensare ordinaria jurisdictione, quæ extra territorium non extenditur. Deinde supponimus non solum Archiepiscopum sed etiam Episcopos suffraganeos posse in talibus legibus dispensare, nisi specialiter sint alteri reservatæ, quod intelligendum est respective, id est, ab unoquoque pro suis subditis, et pro sua diocesi, quatenus in illa obligant tales leges. Neque Archiepiscopus jure ordinario amplius potest, sed cum proportionem pro sua diocesi: nam in diocesis suffraganeorum nihil immediate et ordinarie potest, sicut de dispensatione in votis suo loco diximus. Quod autem hoc modo possint dispensare constabit ex dicendis.

3. Dubitari ergo potest an unusquisque dispenset in tali lege tanquam in sua propria, an vero tanquam in lege superioris. Videri enim potest illud prius, quia unusquisque solum dispensat in tali lege in sua diocesi; ergo solum dispensat in ea tanquam a se lata; ergo tanquam in sua, et non alienius superioris. Declaratur, quia in Concilio provinciali non videtur esse specialis jurisdictio, quæ sit una supra omnes dioceses archiepiscopatus vel provincie. Quis enim illam contulit illi communitati? Neque enim de jure divino est, nec de humano ostendi potest; solum ergo videtur esse in tali concilio aggregatio jurisdictionum plurium Episcoporum qui in talibus legibus ferendis quasi communi pacto conveniunt, et

ita unusquisque Episcopus illas fert pro suo episcopatu, et omnes simul pro tota provincia; ergo postea unusquisque pro suo arbitrio in illis dispensat tanquam a se latis, et non tanquam ab aliquo superiore.

4. *Leges provincialis Concilii tanquam leges superioris habentur respectu Episcoporum.*—Nihilominus respectu singulorum Episcoporum certum est illas leges censeri leges a superiori latis, et ita solum posse in illis dispensare quatenus illis concessum est expresse, vel tacite aut consuetudine. Ratio est, quia revera in Concilio provinciali, ut est unum corpus mysticum, est vera jurisdictio quasi per se una moraliter (ut sic rem explicem), et non tantum est aggregatum jurisdictionum. Quod quidem tanquam certum supponimus ex materia de conciliis, quam, Deo dante, in tomo sexto 3 partis tractabimus, in illum enim locum totum ordinem ecclesiasticæ hierarchiæ explicandum reservamus. Nunc id satis constat ex communi usu et perpetua Ecclesiæ traditione, quæ constat ex dist. 18 per totam. Item ex 9, quæst. 3, cap. *Salvo* cum multis sequentibus, et ex cap. *Grave nimis*, de Præbend., et ex cap. *Sicut olim*, de Accusat., ubi supponitur hujusmodi concilium posse statuta condere quæ Episcopi et servare debent, et facere ut servantur, idemque renovat Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 2, ex quibus etiam constat posse hujusmodi concilium singulos Episcoporum judicare, atque adeo habere in illos vim directivam et coactivam, quam habere non posset nisi haberet propriam jurisdictionem distinctam a jurisdictione singulorum Episcoporum, et superiorem illis. Nam, licet plures Episcopi in unum aggregarentur, sine capite non facerent unum corpus, nec in illis simul sumptis daretur jurisdictio supra singulos. Longe ergo aliter judicandum est de Concilio provinciali. Hinc ergo concluditur leges ab eo latis, esse leges superioris respectu singulorum Episcoporum, et consequenter utrumqueque Episcopum tantum posse in illis legibus dispensare, quantum illi concessum est vel permixtum, quod etiam a fortiori constabit ex his quæ de Archiepiscopo dicemus. Denique inde etiam concluditur quod, licet Episcopus possit in tali lege dispensare in sua diocesi, non tamen potest illam abrogare, etiam pro sua diocesi, quia est lex superioris, quæ ab inferiori etiam ex parte abrogari non potest, ut infra dicetur.

5. *Archiepiscopus non aliter dispensat in lege Concilii provincialis, quam alii Episcopi.*

— An vero idem sit dicendum de Archiepiscopo videtur esse dubium, quia Archiepiscopus videtur esse supra tale concilium, sicut Papa est supra Concilium generale; nam est caput in illo concilio, et ideo ipse cum concilio potest punire Episcopos; concilium autem non potest punire Archiepiscopum, ut significatur in cap. *Grave*, de Præbend. Et in cap. *Multis*, dist. 17, significatur appellari a Concilio provinciali ad Metropolitanum. Nihilominus dicendam est Archiepiscopum non aliter posse dispensare in legibus Concilii provincialis quam cæteros Episcopos; est enim etiam ipse inferior tali concilio, ut sentit Glossa ultim. in cap. *Sicut*, 2, quæst. 7. Et sumitur etiam ex Glossa ult. in cap. penult. de Appellat., in 6, quatenus ait appellari a Metropolitanum ad Concilium provinciale, quod est signum distinctæ et superioris jurisdictionis in concilio. Id autem colligit ex dicto cap. *Multis*, nam prius ibi dicitur quod si Episcopi alicujus provincie aliquam inter se controversiam habeant, *ad majorem sedem*, id est metropolitanam, illam referant; et subditur: *Si illic facile et juste non discernuntur, ubi fuerit Synodus regulariter congregata, canonice et juste judicentur*; *Synodus* (inquit), utique provincialis, quia nec episcopalis sufficit, nec generalis est necessaria; ergo clare ponitur recursus a metropolitana sede ad Concilium provinciale tanquam ad superius. Et ita etiam sentit Navarr. in cons. 6 de Majorit. et obed., cum Paulo de Eleazar. et Cardin. in Clement. 1, § *Quod etiam interdictis*, de Sentent. excommun., ubi idem tenet Anchar., n. 5.

6. Ratio autem est, quia jurisdictio illa quæ est in Concilio provinciali non est eadem quæ est in Archiepiscopo, neque etiam est ab illo; sed est altior et universalior quam illa. Quod patet, tum quia ad plures effectus extenditur, quia Archiepiscopus per suam jurisdictionem non potest de Episcopis suffraganeis judicare, vel eos punire, nec leges pro eorum diocesis ferre, cap. *Nullus*, cum aliis, §, quæst. 3, cap. 1 de Offic. legat., quæ tamen potest conciliaria; tum etiam quia talis est jurisdictio Concilii provincialis, ut actus ejus communi consensu, seu majoris partis fieri debeant, ut aperte colligitur ex dicto cap. *Nullus*, et ex usu et ordine talium Conciliorum, prout ex Isidoro describitur in 1 tomo Conciliorum, ubi etiam dicitur constitutiones edi a toto Concilio, et ab omnibus debere subscribi. Neque posset Archiepiscopus, etiamsi id tentaret, tale jus sibi usurpare. Signum ergo evidens est juris-

dictionem concilii non esse illius, nec ab illo, sed esse superiorem illo. Et ita non sedet Archiepiscopus in Concilio tanquam major jurisdictione toto concilio, sed tanquam præsidens, ut major dignitate et potestate, ut rectus ordo servetur. Unde autem concilium illud habeat jurisdictionem, an a jure divino quasi naturali gratia, vel a Pontifice summo, alterius considerationis est; utrumque autem potest probabiliter defendi.

7. *Archiepiscopus ligatur legibus Concilii provincialis tanquam membrum ejus.*—Hinc ergo concluditur Archiepiscopum ligari legibus concilii provincialis tanquam unum ex membris ejus, et inferiorem illo. Unde consequens est ut non dispenset in illius legibus tanquam in suis, sed tanquam in legibus sui superioris. Atque ita quoad hoc eadem est ratio de Archiepiscopo quæ de aliis. Omnes ergo eatenus possunt in talibus legibus dispensare, quatenus illis permissum est vel concessum. Unde, si Concilium reservasset suæ legis dispensationem, nullus posset in ea dispensare sua auctoritate, nisi summus Pontifex, vel Concilium generale, vel idem provinciale iterum congregatum. Ordinarie vero cum non sit talis reservatio, intelligitur commissa Episcopis potestas dispensandi, unicuique respective pro sua diocesi, et Archiepiscopo etiam pro sua tantum, et non pro diocesis suffraganeorum, quia (ut dixi) non habet ibi ordinariam jurisdictionem immediatam, nisi quoad aliqua dum visitat. Colligitur autem dicta concessio, tum ex usu, tum quia est moraliter necessaria ne oporteat vel summum Pontificem adire, vel aliud concilium expectare pro singulis dispensationibus, quod esset grave incommodum. Dices: potuit committi dispensatio talium legum Archiepiscopo. Respondeo potuisse quidem ab eodem Concilio committi, consentientibus omnibus Episcopis, vel a Pontifice, per commune jus; neutro autem modo ei committitur, quia neutrum ex usu constat, nec est verisimile Episcopos suffraganeos velle tantam potestatem Archiepiscopo concedere. Nec etiam jure communi vel pontificio fit illa commissio Archiepiscopo magis quam aliis; tum quia non potest ostendi tale jus, tum etiam quia esset in præjudicium Episcoporum, maxime quia statuta talium conciliorum solent esse de rebus ordinariis, et ad singularum diocesum commune regimen pertinentibus. Adde quod dispensationes in jure communi vel in votis non committuntur Archiepiscopo pro diocesis suffraganeorum, ut ostendi libro 6

de Voto, cap. 10. Ergo nec dispensatio in legibus Concilii provincialis.

8. *Episcopus non est inferior respectu legum synodaliū.*—Tertium dubium, simile præcedenti, est de singulis Episcopis respectu constitutionum propriarum singulorum episcopatum. Duplicia enim esse possunt hujusmodi statuta seu leges; quædam conditæ a solo Episcopo, sua auctoritate et voluntate, et de his clarum est posse in illis dispensare ex intrinseca potestate et voluntate a qua sola pendet. Aliæ solent esse leges synodales, quæ fiunt ab Episcopo cum synodo episcopali, et respectu talium legum videtur se habere Episcopus tanquam inferior, sicut de Archiepiscopo diximus, quia istæ leges sunt conciliares, et sic sunt a potestate superiori. Nihilominus tamen contrarium verum est, quia, juxta veriorum sententiam, in episcopali synodo non est jurisdictio propria et legislativa distincta a jurisdictione Episcopi, quia inferiores, qui cum Episcopo in ea synodo conveniunt, non habent jurisdictionem propriam episcopalem aut legislativam, sicut habent Episcopi convenientes in Concilio provinciali, et ideo inferiores clerici cum Episcopo convenientes ex se non habent potestatem conferendi illi synodo specialem jurisdictionem ab episcopali distinctam et illa superiorem, quasi ex natura rei resultantem in tali conventu ex consensione omnium. Quia hoc non habet fundamentum in supernaturali jurisdictione singulorum, ut ex dictis constat. Nec etiam Christus immediate illam confert, neque etiam Pontifex, nullo enim jure aliquid istorum ostendi potest. Et ideo jurisdictio illius synodi non est alia nisi solius Episcopi, et synodus tantum congregatur ut majori consilio et maturitate, ac suaviori modo res ordinentur. Quod significavit Bellarm. l. 1 de Concil., cap. 4, dicens diocesanæ synodos vix posse concilia appellari, cum in eis ordinarie nullus sit qui jurisdictionem habeat, præter unum Episcopum. Quapropter ita potest Episcopus dispensare in constitutione synodi sicut in sua propria, ut expresse docuit Navarrus in Summa, cap. 25, n. 74, in fine, et in Commentario de Simonia, n. 4; et sequitur Sanc., l. 8, disput. 17, n. 34, ubi allegat quosdam modernos contrarium sentientes, quia supponunt synodum esse supra Episcopum, et excommunicationem latæ sententiæ latam in tali synodo ligare etiam Episcopum. Sed hoc non sine dubio falsum est, et sine fundamento dicitur, quia per se loquendo in ea synodo non est alia potestas excommunicandi, nisi potestas

Episcopi, qui non potest ligare seipsum, et ideo leges in tali synodo factæ, licet obligent Episcopum quoad vim directivam, non tamen quoad coactivam, in quo etiam differunt a legibus Concilii provincialis, ut sensit etiam Navarrus, cons. 6, de Majorit. et obed., n. 5, in fine. Est ergo magna differentia, etiam quoad dispensationem; nam Episcopus dispensat in lege Concilii provincialis tanquam in lege superioris, in synodali autem tanquam in sua, et ideo longe aliter requiritur justa causa in utraque dispensatione, juxta doctrinam inferius tradendam.

9. *De potestate Episcopi in legibus canonicis.*—Quartum dubium est, an Episcopus possit solus in legibus canonicis dispensare, vel indigeat consensu vel consilio sui Capituli. Aliqui enim canonistæ dixerunt non posse Episcopum dispensare in his legibus sine consensu vel consilio Capituli. Videntur autem loqui tam de dispensatione in jure communi, seu pontificio, aut conciliari, quam etiam synodali: nam indefinite, imo et universaliter loquuntur, ut patet ex Gloss. ult., in cap. ult., quæst. 5; et ex Glossa in cap. *Si qui sine*, 81 d., et in cap. *Ex pœnitentibus*, dist. 50. Ubi Turrecrem. sentit de jure veram esse hanc sententiam, quam etiam tenet Archid. in cap. 1 de Filiis Presbyter., in 6; et Oldraldus, cons. 326, n. 6. Fundamentum est, quia dispensatio est actus solemnis, et inter ardua et graviora negotia reputatur, ut dicitur in cap. *Didici*, in fine, 1, quæst. 7; hujusmodi autem negotia non potest Episcopus sine suo Capitulo expedire, juxta c. penult. 15, q. 7, et cap. *Quanto*, De iis quæ fiunt a Præl. etc. Aliter vero Hostiens., in Summ., l. 3, tit. de iis quæ fiunt a Præl., n. 1, distinctione utitur: *Nam in magnis* (inquit) *beneficiis dispensare non potest sine consensu Capituli, secus in minimis*; sequitur Sylvester, verbo *Dispensatio*, q. 4, et refert plures, et Turrecrem. in dicto cap. *Si qui sine*.

10. *Episcopus in suis legibus et constitutionibus dispensare potest.*—Dico vero, imprimis indubitatum videri posse Episcopum solum, et sine consensu Capituli, dispensare in suis legibus et constitutionibus. Probatur, tum quia talis dispensatio inter minores merito computatur, tum etiam quia talis lex potest ferri ab Episcopo sine Capitulo, ut supra dixi; ergo multo magis dispensari. Deinde dico, saltem ex consuetudine posse Episcopum dispensare in quocumque casu sine suo Capitulo; ita fatetur etiam Turrecrem. supra cum Archid., in dicto

cap. *Ex pœnitentibus*, et idem tenet Gloss. in c. *Cum ex eo*, de Elect., in 6, verbo *Episcopi*, cum Hostiens. in cap. *Dilectus*, de Tempor. ordin., nam de facto ita observant Episcopi, et consuetudo posset jus dare, etiam derogando juri. Dico vero ultimo, etiam de jure non habere in hoc actu Episcopum dependentiam a Capitulo. Ita sentit dicta Gloss. in cap. *Cum ex eo*, quam alii ibi sequuntur, et Angel. verbo *Dispensatio*, n. 6. Ratio autem est, quia nec jure divino aut naturali est necessarius concursus Capituli cum Episcopo ad dispensandum, nec ex jure positivo Ecclesiæ; ergo. Antecedens quoad jus divinum patet, quia jurisdictio Episcoporum vel non est absolute de jure divino, et ita neque habet modum præscriptum ex divino jure, vel eo modo quo est de jure divino pertinet ad monarchicum regimen immediatum. Unde non est cur fingatur data cum illa limitatione, neque etiam in jure naturali id potest habere fundamentum.

11. De jure autem ecclesiastico probatur, quia ubicumque jura canonica committunt dispensationem Episcopo, de illo solo loquuntur, nulla facta mentione Capituli, cap. *At si clerici*, § *de Adulteris*, et cap. *Cum ex eo*, cum similibus, quæ ibi Glossa refert. Et eodem modo loquitur Concilium Tridentinum, sess. 14, c. 7, sess. 24, c. 6, et frequenter. Quod vero dicunt aliqui, subintelligendam esse conditionem de concursu Capituli, gratis dicitur, cum id nullibi sit expressum. Et declaratur tandem, nam tribus modis potest intelligi concursus Capituli, scilicet, per solam præsentiam, per consensum, et per consilium; doctores enim allegati ambigue nunc de uno, nunc de altero modo loquuntur. Primum significat Glossa quædam, et alii dum dicunt requiri ad solemnitatem actus, et ut de illo possit sufficienter constare. Sed hoc frivolum est, quia nec dispensatio per se requirit tantam solemnitatem, nec ullo jure postulatur, et aliis modis potest sufficienter de dispensatione constare. Secundum vero nimum est, quia etiam in dicto capite *Quanto*, non dicitur *cum consensu*, sed *cum consilio*, et eodem modo loquitur cap. *Novit*, de iis quæ fiunt a Præl., etc. Et ita non requiritur consensus nisi in casibus expressis, qui ordinarie spectant ad jus vel identitatem Ecclesiæ seu Capituli. Tertium vero de consilio fortasse habet aliquam probabilitatem de antiquo jure, et in rebus arduis. Sed jam non est necessaria talis forma, ut consuetudo et posteriora jura probant. Maxime quia dispensatio per se non reputatur ex rebus arduis quæ requirunt con-

silium Capituli, ut notat Frederic. de Senis, cons. 40, in fine, et indicat Sylvest. supra; qui solum excipit dispensationes quæ possent cedere in præjudicium Ecclesiæ; quod intelligendum puto de præjudicio contra jus proprium Ecclesiæ vel Capituli. Unde non placet exemplum de dispensatione ad ordines quo utitur Sylvester, nam talis dispensatio per se nullum præjudicium affert.

CAPUT XVI.

UTRUM HABENTES POTESTATEM ORDINARIAM AD DISPENSANDUM IN LEGIBUS, HABEANT ETIAM AD COMMUTANDUM.

1. *Summus Pontifex potest leges suas commutare, et in illis dispensare.* — Sensus questionis est an liceat legislatoribus vel Prælati, quando relaxant vinculum legis, onus aliquod, vel personale, vel pecuniarium imponere; id enim videtur in usu esse, et tamen non est facile rationem illius reddere, et justitiam vel potestatem explicare. Primo ergo de Pontifice summo (et idem erit cum proportione in quolibet principe supremo in suo ordine), omnes fatentur posse hoc modo leges suas dispensare et commutare, quia hoc non est per se malum, ut constat, et in sequentibus declarabitur; nec potest esse prohibitum Papæ, cum supremam potestatem habeat. Nec alicubi invenitur talis prohibitio, ut etiam ostendatur a fortiori. Imo habemus talis dispensationis exemplum in cap. *Licet*, de Fer., ubi Pontifex dispensat in quadam piscatione in die festo cum onere cujusdam elemosynæ; nam, licet quidam Summistæ dixerint illud onus esse consilii, non necessitatis, vim faciunt textui et verbis ejus. Quia illa indulgentia sub tali conditione vel modo conceditur per hæc verba: *Ita quod post factam capturam, Ecclesiis circumpositis, et pauperibus congruam faciant portionem.* Concessio autem sub conditione, vel modo, inducit necessitatem adimplendi conditionem, si quis dispensatione utatur, ut recte viderunt ibi Panor., Anton. et alii, et Navar. in summ., c. 3, n. 9, cum Angelo et Cajet.; et idem dixi in 1 tom. de Relig., tract. 2, lib. 2, cap. 19, n. 7, et latius c. 33, a n. 5. Et in dispensationibus, præsertim in matrimonii impedimentis et aliis similibus, hoc observat consuetudo romana, ut late explicui dicto tomo 1 de Relig., tractatu 3, l. 4, de Simon., cap. 20, n. 11 et 12.

2. *Episcopi et alii inferiores leges commutare.* — Secundo,

videtur etiam extra controversiam positum, posse Episcopos, seu alios inferiores leges, dispensare in suis legibus, non pure, sed per modum commutationis aut compensationis. Ita supponit ut manifestum Sanc., lib. 8 de Matrim., disput. 14, n. 1, licet neminem alleget, quia non videtur fuisse hoc in controversia positum; rationem reddit, quia hujusmodi leges a voluntate Episcopi vel similis legislatoris pendent; ergo ex justa causa potest eadem voluntate relaxare legem, vel omnino, vel partim, in aliud opus illam obligationem commutando. Item, quia eadem est proportio inter Episcopum et suam legem, quæ est inter Pontificem et suam; nam in utroque pendet obligatio legis a propria voluntate respective, et in neutro deest potestas ad imponendum novum onus loco alterius, eadem enim potestas quæ fuit sufficiens ad legem ferendam erit etiam sufficiens ad aliam obligationem loco illius imponendam.

3. Nihilominus tamen de Episcopis seu inferioribus dispensantibus in lege superioris negant aliqui posse dispensare commutationem miscendo, seu compensationem exigendo, sed solum pure relaxando legem, si causa exigat, vel juste id permittat. Ita tenet Sanc. supra, n. 2, et latius l. 3, disput. 10, a n. 8, ubi refert Sotum, 4, dist. 28, q. 1, a. 2, ubi specialiter loquitur de dispensatione in denuntiationibus matrimonii, dicitque ubi justa causa dispensandi subest, iniquissimum esse aliquam multam imponere, etiam pro Ecclesiæ fabrica. Et potest ad idem allegari Navarr., cons. 18 de Pœnit. et remiss., n. 3, dicens peccare Prælatum concedentem dispensationem subdito, quæ jure communi competit, pro aliquo adjutorio temporali, et intelligit etiam pro elemosyna facienda, ut ex n. 4 constat, quia non est pecunia dandum, quod jure communi gratis debetur, juxta l. 2, ff. de Condict. ob turp. caus. Fundamentum esse potest multiplex. Primum, quia illa actio est injusta si dispensatio habet justam causam, quod indicant Navar. et Soto. Secundum, quia in Episcopis vix potest excusari a labe simoniæ, ut ait etiam Navar. et indicat Tab. verb. *Simonia*, n. 51. Tertium, et magis proprium, quia hoc excedit potestatem Episcopi aut similis dispensantis in lege superioris; nam ipse non posuit obligationem talis legis, nec fortasse potuisset illam ferre; ergo nec potest aliquam obligationem ponere loco obligationis talis legis. Probatur consequentia, quia a superiore solum illi commissum est ut tollat vinculum legis suæ, quando justum fue-

rit, non vero ut aliud onus imponat, et Prælati non plus potest in illo actu quam ei sit commissum. Neque habet aliquem justum titulum ad imponendum tale onus. Et confirmatur, quia alias posset Episcopus sua voluntate, et sine alia causa commutare opus legis in aliud opus pium, sicut potest in votis facere, quod sine dubio falsum est. Confirmatur secundo ex Trid., sess. 25, cap. 18 de Reform., præcipiente dispensationes gratis dari: non fit autem gratis quod fit onere imposito, etiamsi titulo elemosynæ imponatur.

4. *Potest Episcopus dispensare in lege superioris per modum compensationis.* — Hæc vero sententia ita indefinite et nude prolata mihi probari non potest, et ita contrarium absolute docui in d. tom. 1 de Relig., tract. 2, l. 2, c. 33, n. 10, et tract. 3, l. 4, cap. 20, n. 15; estque sententia Panorm. in dict. cap. *Licet*, n. 4, et in rubric. de Observat. jejun., n. 9, ubi alii doctores communiter, in dispensatione jejunii facta per Episcopum vel alios Prælatos, non solum approbant compensationem, sed etiam consulere videntur. Et idem habet Innoc. ibi, cap. 1, quem refert et sequitur Palud. in 4, dist. 15, quæst. 4, art. 13, et omnes Summistæ, et doctores tractantes de jejuniis. Et idem tenet Cajet. 1, 2, quæst. 97, art. 4, et præterea consuetudo valde communis tam in jejuniis quam in dispensationibus circa opera servilia in die festo, et circa præceptum recitandi horas canonicas, et similia: ratio vero esse potest, quia hoc non est per se malum, nec est prohibitum inferioribus Prælati, nec excedit illorum facultatem: ergo possunt id facere, et licite, et valide. Antecedens quoad primam partem patet facile respondendo ad duas primas rationes: quia in tali commutatione non intercedit injustitia. Nam, licet detur causa justa relaxandi legem, potest illi satisfieri miscendo aliquam compensationem, quæ ex parte suppleat intentionem legislatoris, quia non impeditur ex vi talis causæ. Imo interdum contingere potest ut causa sit justa, et sufficiens ad relaxandum hoc modo, et non ad puram remissionem, sicut in votis dicere solemus: quoad hoc enim fere eadem est ratio, ut ostendam. Ac denique, licet causa sit talis ut propter illam possit juste dispensari pure, nihilominus potest non obligare ad sic dispensandum, et ita sine injustitia poterit aliqua recompensatio imponi, dummodo justo titulo imponatur, ut declarabo. Deinde potest in tali remissione nulla simonia nec umbra ejus committi, ut in dicto cap. 20 late declaravi, et est manifestum

in commutationibus votorum. Item est clarum, quando non intercedit pecunia, nec fit compensatio per modum redemptionis, sed pure commutationis, imponendo opus orationis, aut simile. Denique, etiamsi onus pecuniarium imponatur, si nullo modo in utilitatem imponentis, sed ad pia opera pure et sincere applicetur, cessat omnis suspicio simoniæ: ergo talis modus recompensationis non est per se seu intrinsece malus, nulla enim deordinatio intrinseca cogitari potest.

5. Secunda veropars antecedentis, nimirum, hoc non esse malum, quia prohibitum his Prælati, probatur, quia nulla potest ostendi lex ecclesiastica hoc prohibens; etenim, si qua esset, maxime decretum illud Concilii Tridentini, sess. 25, cap. 18. At illud imprimis non loquitur de dispensationibus tantum Episcoporum seu inferiorum Prælatorum, sed simpliciter de dispensatione legum: unde tota illa doctrina sine dubio generalis est, etiam de dispensationibus Papæ, ut patet ex principio capitis, et ex absoluto loquendi modo, et ex illa distributione posita in fine capitis: *A quibuscumque ad quos dispensatio pertinet*: at Pontifices, quando dispensant imponendo similia onera, non derogant illo decreto, alias non recte facerent, passim et sine speciali causa illud transgrediendo. Deinde lex illa etiam comprehendit dispensationes Episcoporum in propriis legibus, ut ex eadem verborum consideratione et ponderatione constat, et tamen in illis non censetur prohibitus hic modus compensationis: ergo nec in aliis. Denique qui commutat votum gratis commutat, sive imponat onus personale sive reale, dummodo non propter temporalem utilitatem, sed propter operis pietatem compensationem faciat. Unde in illo decreto hoc solum intenditur ut nihil temporale exigatur propter dispensationem, non solum per modum pretii, verum etiam nec per modum stipendii aut congruæ sustentationis, ut in dicto cap. 20, n. 14 et 15, late explicavi, ubi etiam sic exposui sententiam Navarr., Tabien. et aliorum. In compensatione autem vel commutatione de qua loquimur, non imponitur unum opus loco alterius eo titulo, id est, propter dispensationem, sed pure propter opus pietatis, vel divinum cultum, ut supponimus; ergo prohibitio illa concilii nihil ad rem præsentem spectat, et præter illam nulla alia affertur, nec ego illam hactenus inveni: non est ergo hoc malum quia prohibitum.

6. Tertia denique pars antecedentis, scilicet, quod potestas non desit, patet quia auctor le-